

tionem omnium futuram, &c. Existimabant enim tria illa eodem tempore euentura, scilicet excidium vrbs, excidium orbis, & diem iudicij, ac proinde, quia ex verbis Christi colligebant imminere excidium vrbs, coniecurabant etiam imminere excidium orbis, & diem iudicij.

- Matth. 24. num. 5.** Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus; & multos seducunt.
- Num. 6.** Audituri enim estis praelia, & opiniones praeliorum, videte, ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

VERSIONES.

- Syriacus n. 5.** Multosque in errorem inducent.
- Vatabl. n. 6.** Audituri estis bella, & rumorem bellorum.
- Origen. hom. 8.** Audietis praelia, & auditiones praeliorum.
- Arabicus.** Audietis noua bellorum.
- D. Cyprian. de exhortatione Martyrj.** Audietis bella, & auditis bellorum, nolite tumultuari.

ALTER TEXTVS.

- Marc. 13. n. 6. & 7.** Idem cum D. Matthæo.
- Luc. 21. n. 8.** Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo dicentes: Quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos.
- Nam. 9.** Cum audieritis praelia, & seditiones, nolite terri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

EXPOSITIO III.



D tria illa quæ sita discipulorum de excidio Ierosolymæ, Orbis, ac aduentu iudicij: Respondet Christus Dominus, & præuia signa deaustationi Ierosolymæ nunc incipit assignare. Deinde à n. 33. dat præuia signa de excidio Orbis, ac vltimo aduentu suo. Erunt signa in Sole, & Luna, &c. Et denique n. 36. monet vt omnes strenuè se parent ad illum diem vniuersalis excidij, & iudicij extremi. Cum videritis hæc omnia scitote, quia prope est.

Multi enim venient. Dat Dominus signa, quæ ipso ab eis ablato, ac assumpto in cælum ante templi, ac Ierosolymæ excidium contingent; & vt ait D. Chrysoctom. homil. 76. Duplex bellum,

Chrysoct.

futurum, alterum à seductoribus, alterum ab hostibus, sed illud multò grauius, atque periculosius: tanquam spirituale contra bonum animæ, & ideo sedulos, ac vigilantes eos mandat esse, vt patet ex superiori vers. Videte ne quis vos seducat. Et ait, In nomine meo: hoc est, vsurpantes, seu mentientes meum nomen, meamque propriam dignitatem, vt explicant D. Paschal. Albertus Magn. S. Thom. Dicentes: Ego sum Christus. Quales post Christi Ascensionem fuerunt. Primò, Thodas, de quo Act. 5. n. 36. Secundo, Ægyptius Impostor, de quo Act. 21. n. 38. & Ioseph. lib. 2. Belli cap. 13. Tertiò, Simon Magus, de quo Act. 8. num. 10. Qui vt testatur D. Hieronym. dicebat: Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego paraclytus, ego omnipotens, ego omnia, Talisque fuerunt alij, quos refert D. Irenæus lib. 1. cap. 21. Multos seducunt. Cavete ergo ne, & vos seducamini, ne fides pestifero mendacio detrahat, vt ait D. Hilar.

Sed vnde cognoscent Christiani hos falsos impostores, ne eos seducant. Rectè Origenes homil. 27. in Matth. Et dicent, ait, Ego sum Christus. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem Anti-Christorum, qui dicunt: Ego sum Christus, quod nunquam legitur Christus dixisse. Cum ergo isti vsurpantes Christi nomen in suas laudes maximè se effundant, inde apertè cognoscentur eos longè esse à Christi genio, falsoque ipsos Christi nomen vsurpare.

Audituri enim, id est, autem, estis praelia, & opiniones praeliorum; seu, vt alij legunt, rumores, auditiones, & famam bellorum. Nam Romani aduenientes non primò irruerunt in Ierusalem, sed alias ciuitates Iudææ deuastrauerunt, & tandem ad Ierusalem destruendam se contulerunt, vt ex Iosepho testatur Abulens. & ait Christus, quod audient huiusmodi rumores, qui ipso bello sunt tristiores, & metu magis cruciant, & affligunt animos, quam ipsamet bella. Videte ne turbemini. Supra & iterum modò commendat Dominus. Videte, vt valde cautè, & circumspectè se habeant in tam graui negotio. Ne turbemini. Explicat D. Chrysoct. in Imperfecto homil. 47. Videte ne turbemini, sed opus predicationis vestra implete. Verus minister Euangelicus nulla aduersitate à suo munere, ac predicatione desistit. Hominum ergo metu, à mea fide non deficiatis, sed generoso animo omnibus aduersitatibus superiores, constantes estote in mea fide, ac predicatione Euangelij, nam vt explicat Carthuf. Iustus nulla contrarietate perturbatur, sed semper firmus perseverat. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me praelium, &c.

Oportet enim. Rationem assignat Dominus, cur non debeant turbari; hæc fieri, seu, vt habet Syriacus, hæc omnia. Oportet, ait, non absolute, sed ex hypothesi, supposita nempe ex vna parte hominum malitia, & ex altera parte Dei prouidentia cui visum est huiusmodi mala permittere ad maiora bona elicienda, tum vt ipsi peccatores vexati habeant intellectum, vt respiciant, tum vt etiam alij malorum punitione cautiore fiant ad huiusmodi mala fugienda. Sed nondum finis: finis inquam Ierusalem, & templi, seu etiam seculi, nam illi rumores bellorum præcedent, & postea fiet totius vrbs, & orbis desolatio.

Paschal. Alb. Magn. D. Thom.

Act. 5. Act. 21. Iosephus. Act. 8. Hieron.

Hilarius. 17.

Origen.

18.

Iosephus. Abulens.

Chrysoct.

Carthuf.

19.

Syriacus.

QUESTIO

QUESTIO III.

Quare Christus ait, audituri estis praelia, & opiniones praeliorum, & non potius vsuri estis?

20. Franc. Luc. Durior timor belli, quam bellum.

VI. ex discipulis non solum audierunt, sed etiam viderunt praelia, vt notat Franciscus Lucas; cur ergo Dominus solum de auditu, & non de visu facit mentionem, audituri estis; fortè vt concordaret cum illo, quod dicebatur, & opiniones, seu rumores praeliorum, quod ad auditum refertur; & quia ipse timor belli, crudelius, ac dirius angit, quam ipsum bellum iuxta illud Prophetæ. Peior est bello, timor esse belli. Vide cap. 8. num. 135. & infra cap. 49. quæst. 9.

21. In aliorum periculo cauti sumus.

Secundo. Quia exercitus Romanorum prius irruerunt in alias ciuitates Iudææ, & postea inuaserunt Ierosolymam; monet ergo Dominus, vt audita aliorum ruina discipuli sibi consulant, & caueant à simili damno, & periculo. Vide supra cap. 21. num. 69. & cap. 35. num. 25.

22. Origen. Filij pacis solo auditu percipiunt mala.

Tertiò. Origenes homil. 28. in Matth. Ponamus, ait, audire quidem praelia esse, quando filij pacis à praelijs custodiunt oculos suos, vt non videant maligna: & quoniam non possunt aspicere super labores, & dolores, audiunt de praelijs, qualis ciuitas pugnet aduersus qualem ciuitatem, aut qualis gens aequali expugnetur gente. Dicitur quod discipuli praelia non visu, sed auditu percipiunt, & cur de auditu fit mentio, & non de visu; filij pacis à praelio custodiunt oculos suos. Cum sint filij pacis inter bellorum strages, ac cædes, sic concorditer ac pacifice viuunt, pacato, & quieto sunt animo; vt inter bellorum tumultus videantur ab eis longè abesse, vt videantur potius audire, quam videre bella.

23. Jerem. 51.

Prædicat Deus extremam ruinam Babylonis, ac Balthasaris; & ait ad populum suum: Ne forte mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio; & post hunc annum auditio, & iniquitas in terra, & dominator super dominatorem, Ierem. 51. num. 46. Ne forte mollescat cor vestrum: vt explicat Cardinalis Hugo, ne turbetur cor vestrum. Veniet in anno auditio. Nempe in anno primo Balthasaris, vt explicant Rabbi Salomon, Lyran. Carthusian. Cornelius, venit rumor belli, quod Medij parabant. Et post hunc annum auditio, & iniquitas in terra. Et post illum primum annum venerunt Medij cum magno exercitu, & Babyloniam destruxerunt, & Balthasar interfecerunt, & quomodo tunc dicitur quod venit auditio, & iniquitas. Filij Israel erant captiui detenti in Babylonia, cur non dicitur, quod viderint iniquitatem terræ, seu illius desolationem, ac Darium illius dominatorem, sed tantum quod audierint: filij Israel filij pacis inter bellorum tumultus, valde animo ab illis distabant. Miseri Babylonij maximè inter se contrarij rigorem exercitus Medorum patiebantur, videruntque regem suum, & populum suum occisum, & deaustatum; Israelitæ pacis filij in medio tantæ desolationis solum illius auditionem percipiabant, quam miseri Babylonij videbant, & experiebantur.

Inter discordia filij pacis est vultus à longe.

QUESTIO IV.

An presentia Christi verba referantur solum ad vrbs Ierosolymæ deaustationem, an etiam ad illius, & Orbis excidium?

Ivvs Chrysoct. D. Hilar. Euthym. Theophylact. Glossa Interlin. & Ordinaria, Abulens. quæst. 45. Carthusianus & alij, hæc presentia signa de praelio, de gente, in gentè exurgente referunt, vt præuia ad excidium vrbs. Quia discipuli primò, & principaliter de excidio vrbs quæsierunt, ergo ad hoc primò respondet Christus.

D. tamen Augustinus epist. 80. ad Hefichium, D. Hieron. D. Paschal. Beda, & alij docent hæc signa esse excidij vrbs, & orbis. Nam discipuli confusi, & simul de vrbs, & orbis excidio vnum cum alio iungendo interrogauerunt, mistim etiam Dominus vtique responderet, vsque ad vers. 15. quod ea intentione facit vt discipuli, ac fideles semper suspensi ad vtrumque diligenter se præmuniant, ac præparent. Quod autem mistim Dominus hic agat de Vrbs, & Orbis excidio vsque ad vers. 15. patet ex eo quod hæc signa vtrumque excidium præbunt. Et ideo D. Greg. homil. 1. in Euang. D. Irenæus lib. 5. cap. 25. de mundi consummatione interpretatur, antequam præcedant magni tumultus, praelia, fames, pestes, terræmotus, & Pseudo-christi.

Cur tamen Dei electi tot, tantisque laboribus vexabuntur; vt eorum virtus, probitas, ac sanctitas omnibus sit nota, & manifesta; postquam Deus tentauit Abraham, vt sacrificaret filium suum. Ait Deus ipsi, Nunc cognoui, quod timeas Deum, Gen. 22. n. 12. Expende illud, Nunc. Ac si antea in prosperitate, & tranquillitate non cognouisset. D. Hilar. in Psal. 1. Nunc cognoscitur, ait, nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.

Admonetur Ananias à Deo, vt vadat, & quærat Saulum tanquam stupefactum sine cibo, & visu iacentem, quem etiam miris laudibus Deus extollit: Vas electionis est mihi iste, vt porret nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel. Ananias eum lupum ferocem in Christi gregem credebat, & quamuis ex Dei ore tot laudes audiret, adhuc veluti anceps manet; donec audiuit verba, quæ subdit Dominus: Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati, Act. 9. num. 16. Tunc omne dubium deponit, & subdit Textus: Abijt Ananias, & quem antea ex facie non agnouerat, salutauit ex nomine, & vt fratrem recognouit. Cur modò sic abiit, & non antea, cum eius laudes percipit? Magis nunc eum agnouit fratrem, ac discipulum Domini, quem laboribus, ac tentationibus exercendum agnouit, quam dum laudibus commendatum audit.

Matth. 24. nam. 7. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentia, & fames, & terræmotus per loca.

Num. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

24. Chrysoct. Hilar. Euthym. Theophyl. Glossa.

25. August. Hieron. Paschal. Beda.

Gregor. Irenæus.

26. Iusti laboribus manibus se santur. Genes. 22. Hilar.

27.

Act. 9.

Iusti laboribus commendantur.

VERSIO

VERSIONES.

Syriacus. Insurgit gens contra gentem, & regnum contra regnum: erunt, & terramotus in singulis locis. D. Cyprian. de Exurgit gens super gentem. Arias. Excitabitur gens in gentem. Tertull. aduers. gent. Regna regnis ambulabunt. Arabicus. Et erunt timores, & fames, & perturbationes. Vatablus. Erunt terramotus certis locis. Syriac. u. 8. Hæc autem omnia principium sunt dolorum. D. Cyprian. Initia sunt parturitionum. D. Hieron.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n. 8. Exurgit gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terramotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc. Luc. 21. n. 10. Tunc dicebat illis: Surgit gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. Num. 11. Et terramotus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, terrorisque de celo, & signa magna erunt.

EXPOSITIO IV.

28.

Ioseph. Hegecip.

29. Luc. 21.

Ioseph.

INSURGENT gens in gentem. Postquam Ierosolymitani suum Romanorum militum prælidium trucidarunt, ac interfecerunt. Vlico, vt referunt Iosephus lib. 2. Belli cap. 11. vsque ad finem, & Hegecipus lib. 2. cap. 11. 14. 16. & 17. Aiscalonitæ Ptolomaidi, Damasceni, Alexandrini, Syri, vicinæque nationes, ac Romani contra Iudæos surrexerunt, eosque bello continuo aduerserunt, vsque ad miserimum Ierosolymæ exitum. Et erunt pestilentia, fames, & terramotus. De peste, ac terramotu nihil scribit Iosephus, forrè ad apparatus belli totus intentus, ex hoc tamen Christi vaticinio certum est illa extitisse; de vrgenti, & magna fame fit mentio in Actis Apostolorum 11. num. 28. & eam latè describit Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 2. & 3. Addit D. Lucas citatus: Terroresq; de celo, & signa magna erunt. Quod hæc antecedent consummationem Orbis, patet ex Apocalyp. 8. & 9. & quod hæc etiam præcesserint excidium vrbis Ierosolymitanæ, certum est. Nam refert Iosephus lib. 7. de Bello cap. 12. Primum signum, ait, super ciuitatem sydus sterit simile gladio, & per au-

num perseverauit cometes. Secundum. In Paschate conueniente populo ad festiuitatem octaua die Aprilis, hora nona noctis tantum lumen effulsit per mediam horam, vt clarissimus dies putaretur. Tertium, in aère visi fuerunt equites armati, & currus per varia discurrerent, & pugnantium prælia visa & audita sunt die primo mensis Maij. Quartum signum. Festo die, quem Pentecosten vocant, Sacerdotes in templo motum, & strepitum quendam senserunt, & postea subitam vocem audire dicentem: Migremus hinc. Angeli erant, qui templum, & Ierusalem deferebant, iuxta illud supra explicatum. Ecce relinquatur domus vestra deserta. Alia signa adducit hic Iosephus, & referunt communiter in præsentii Recentiores.

Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Græcè vt vertunt D. Cyprianus, & D. Hieronymus in commentario parturitionum, hoc est magnorum dolorum, qui similitudinem referunt eorum, quos mulieres in partu patiuntur, in quo non pauca præ dolore animam exhalant; sic in Iudaico bello tot calamitates famis, pestilentia, ac belli oppresserunt Ierosolymitanos, opprimentque fideles in consummatione sæculi, vt merito cum dolore, afflictione, ac morte parturientium valeant comparari.

QVÆSTIO V.

Quare tempore Antichristi assignatur quod surgit gens in gentem?

ICVT enim princeps pacis Christus Dominus in urbem summa pace fluentem ingressus est: ita & Antichristus, totius discordia machinata in orbem contrariis bellis tumultuantem ingreditur. Vnde eleganter ait D. Gregorius Nazianzenus orat. 14. quæ est tertia de Pace loquens de Antichristo. Nec enim, ait, opinor sanos adorietur, nec charitate septos, & munitos: verum regnum in se ipsum prius diuidi oportet. Ac si dicat; stante mundi concordia, stabit mundus: dissoluta dissoluetur. Vbi enim discordia ingreditur, statim mors grassatur.

De Israhel vite frondosa ait Deus, diuisum est cor eorum, nunc interibunt, Osee 10. num. 2. Expende illud, nunc. Vbi enim diuisio introiuit, statim mors secuta est. D. Hieronymus ibi ex Hebræis: Hoc est regis, & populi, & nulla excusatione remanente, nunc interibunt, & tradentur æterna captiuitati: statim enim vt populus dissensit à rege, venit in te interitus. Cum enim sit dissensio, ac diuisio statim auolat interitus, & deuastatio, cum Iudæi à Romanis expugnarentur, vt tradit Iosephus, fuit Ierusalem in tres partes diuisa seditio, & tunc capta est ciuitas, cum diuisa.

Mandauit Deus vt iudices in vrbis aditu collocarentur. Iudices, & magistratos constituit in omnibus portis eius, Deuteronom. 16. num. 18. De quibus etiam Amos agit cap. 5. num. 10. & iam ab Abrahami æuo hæc iudicibus sedes designata erat, Genes. 23. num. 10. Cur tamen lege lata constitutum est vt index ad vrbis aditum de iure ageret, ac lites solueret. Optimè agnouerat diuina sapientia vrbis pestem, ac excidium discordiam esse, vrbem ergo litigantibus, ac dissentientibus interdixit, quouique lite composu-

Signa excidij Ierosolymæ.

29. Cyprian. Hieron.

30.

Nazianz.

Vbi discordia, ibi interitus, & deuastatio.

31. Osee 10.

Hieron.

Diuisio interitum adducit.

32. Deut. 16. Amos 5. Genes. 23.

Ciuitas interditæ sic discordia, non perent.

amicè

Gregor.

amicè conuenirent, ne discordia veneno ciuitas periret, sed amicitia federe in multum cresceret; eleganter D. Gregorius lib. 19. moralium cap. 13. Mos veterum fuit, ait, vt seniores in porta consisterent, & causas introeuntium indicarent, quatenus tanto esset pacificus vrbis populus, quando ad hanc discordes ingredi non liceret.

Quæ autem sequuntur: Tunc tradent vos in tribulationem, & occidet, & eritis odio, &c. Expli- caui tom. 3. cap. 8. expof. 5. à quæst. 15.



CAP. XLIX.

Antichristus.

Matth. 24. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta statim in loco sancto, qui legit, intelligat. Num. 16. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

VERSIONES.

Syriacus n. 15 Cum videritis portentum immundum vastationis, Vatablus. Per Danielem Prophetam. Syriac. n. 16. Fugiant in montem.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. Cum videritis abominationem desolationis, stantem, vbi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes. Luc. 21. n. 21. Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius. Num. 22. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

EXPOSITIO I.

I. Connexio cū superioribus.



VXTA communem Patrum, ac interpretum sententiam sermo est in præsentii de excidio Ierosolymæ; aliqui etiam mysticè de Antichristo interpretantur, de quibus latius quæst. 1. Prædixerat Dominus immediatè antea. Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe. Et tunc subdit: Cum videritis abominationem desolationis. Cum enim Euangelium prædicatum esset per spatium quadraginta duorum

annorum in toto orbe, tunc aduenerunt Romani Hierosolymam expugnantes. Vnde exclamant D. Chrysof. homil. 76. Orem nouam, & inauditam in natura! Iudæorum innumera millia Romani tunc vicerunt, atque seperunt, & à duodecim viris nudis, atque inermibus superati sunt. Magna efficacia, ac vis Euangelicæ veritatis. Romani capta, atque cremata vrbe Iudæos superarunt. At Apostoli duodecim viri pauperes, & inermes Romanos vicerunt, eisque nouas leges, ac præcepta viuendi tradiderunt.

Cum ergo videritis. Hæc fututa prædicat Dominus suis discipulis, quia vrbis Hierosolymæ, ac templi deuastationes, vt ait D. Chrysofostomus citatus: Nonnullis eorum adhuc viuentibus, contingerunt vel quia in suis Apostolis, ac discipulis, loquitur cum fidelibus illis, qui eo tempore victuri erant; documentum datur in capite vt in membra deriuetur. Et nota quod supra cum de præliis fuisset sermo, ait: Cum audieritis prælia, & seditiones. In hoc sermone Matth. 24. num. 6. Luc. 21. num. 9. At verò de prophanatione, ac contemptu templi, ait: Cum videritis abominationem. Cum tamen prælia ibi pronuntiata, & abominationes hic prædictæ ad idem excidium Hierosolymæ spectent: prælia ad damna temporalia, abominationes ad templi opprobria. Vir probus in ruina temporalium, à quibus animo separatus est, tam constans se habet, ac si longè esset ab eis vt illa videatur audire, & non videre. At factarum rerum contemptu, quæ maximè ei fixæ sunt in animo, sic dolet, sic affligitur, vt in his semper præfens, & nunquam absens esse videatur.

Abominationem desolationis. Id est abominabilem desolationem scdam, & execrabilem, huiusmodi res more Scripturæ vocantur abominationes. Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus, Psalm. 5. num. 7. Per huiusmodi abominationem, multi intelligunt statuam Titi, vel Adriani Imperatoris positam in loco templi. Alij peccata Sacerdotum commissa in templo, alij ipsum Antichristum, qui se voluit in templo adorari, vt Deum; alij & communitè castra Romanorum interpretantur; qui captam ciuitatem abominandè vastauerunt, ac desolauerunt, templumque prophanauerunt per homicidia, aliæque multa scelera commissa tam ab ipsis Romanis, quam à seditionis, ac homicidis Iudæis, qui se legis, & libertatis zelotas nuncupabant, de quibus latius quæst. sequenti.

Quæ dicta est à Daniele Propheta. Cap. 9. n. 27. Et erit in templo abominatio desolationis. De quo statim. Stantem in loco sancto. D. Marcus scribit, stantem vbi non debet. Nam abominatio, & desolatio maximè exulare debet à loco sancto. Et notandum est, quod non ait Christus Dominus in loco abominationum, quæ introductæ fuerant à gentibus, sed in loco sancto. Intelligens templum, & ciuitatem Ierosolymam. Nam quamuis lex Moylis, templi Iudaicus cultus, & sacrificia iam essent abrogata. Locus tamen ille fuerat sanctus, & Deo dedicatus. Et ciuitas ipsa ab Euangelista vocata fuerat sancta. Super ciuitatem sanctam, Matth. 4. num. 5. Ac pròinde ob honorem antiquum illis venerationem desert. Quis legit, intelligat. Iansenius vult hæc verba non esse dicta à Christo, sed apposita ab Euangelista, tamen communis est sententia D. Chrysofostomi, Paschalisj dicta fuisse à Christo commendans, vt locus Danielis

Chrysof. Magna potèria Euangelica veritas.

Chrysof.

Probi maxime dolent de re sacra prophanata.

3.

Psalm.

4. Daniel.

Locus veneratur ob sanctitatem, quam habuit.

Chrysof. Paschal.